



- 1 trii in pueris Yvōdorovus Budd.
- 2 oratio de veritatis et pietatis nexu necessario Budd.
- 3 Clement. Max. nova sacra Missa Pontif. Budd.
- 4 de peccatis typicis ejusdem
- 5 de prerogativis fidelium V. S. ejusdem
- 6 de pseudo-baptismo ejusdem
- 7 ejusd. de solvituris exaltatione dolorosa
- 8 -- de fide naturali
- 9 -- programma in doctoratu Danzi de Tolando Atree
- 10 -- -- -- in natalen Jesu Christi
- 11 Festi de visitatione domestica
- 12 Hugi de Evangelio mortuis annunciat, Petr. IV. 6
- 13 Budd. de veritas Christianae relig. ex philof. gentif.
- 14 Fortf. Frensdii de Excessu pietatis
- 15 Oleari de inferno p. S. Testim.
- 16 Hebenstreit. de prodig. natione
- 17 Tob. Mayeri in Palm. II. 20 et 26
- 18 Pfeffinger. de reprobatione Diabolorum
- 19 Budd. de officio Imperatoris circa consens. Inf.

P. 6 365

Theologie

Q. IV. 885. 679.

P. 8. 366

Sammelswerk

DEI GRATIA
 GVILIELMVS HENRICVS
 DVX SAXONIAE, IVLIACI, CLIVIAE,
 MONTIVM, ANGARIAE, ET GVESTPHALIAE,
 LANDGRAVIVS THVRINGIAE, MARCHIO
 MISNIAE, PRINCEPS COMES HENNEBERGIAE,
 MARCAE ET RAVENSBVRGI, SAYNAE, ET
 WITTGENSTEINII, DYNASTAE
 RAVENSTEINII

RECTOR ACADEMIAE IENENSIS
 MAGNIFICENTISSIMVS

S. D.
 C I V I B V S.

I E N A E
 LITTERIS KREBSIANIS.
 M DCC IX.



DEI GRATIA
WILHELMVS HENRICVS
DUX SAXONIAE, IVLIACI, CILVICI,
MONTIUM, ANAGRIAE, ET CVESTPHALIAE
LANDGRAVIVS THVRINGIAE, MARCHIO
MISNAE, PRINCEPS COMES HENNERGIAE
MAGNVS ET RAVENSBERGI, SATHIAE, ET
WITGENSTEINI, DYNASTA
RAVENSSTEINI

RECTOR ACADEMIAE TENNISIS
MAGNIFICENTISSIMVS

C O N T E N T A

LITTERAE RECTORIAE
1711





Natalem Christi Seruatoris diem, si rite, ea-
que, qua decet mentis veneratione, conce-
lebrare velimus, non id agemus rectius,
quam si Magorum, ex remotis terris, ma-
gnis itineribus ad recens natum puerum,
aduolantium, imitemur exemplum. Non
longinquitas locorum, non taedium, aut molestia itineris,
non periculorum, quae subeunda fuerunt, magnitudo, de-
terrere istos poterat, quo minus Numinis ductum secuti,
eum, cuius stellam viderant, quaerere studiose. Inuen-
tum vero, incredibili, & quod verbis exprimere non li-
cet, gaudio, amplectebantur, adorabant; suamque erga
illum muneribus testabantur fidem, amorem, obsequium.

Remoretur te fortassis paulisper, dubiumque iniiciat,
mota hodie quaestio, * num religioso cultu, & adora-
tione, qua solum Deum veneramus, Iesum puerum, pro-
secuti sint Magi, an inclinatione saltem corporis, atque
prostratione, more orientalibus gentibus consueto, suam
testari

) 2

testari

* RICHARDVS SIMON, vir ob multa ingenii & eruditionis haud vul-
garis, monumenta, notissimus, in versione Gallica novi testamenti,
& notis ad *Matth. II. 2. & 11.* item in praefatione, haud obscure signi-
ficauerat, de civili saltem cultu, adorationem Magorum accipiendam
esse.

testari voluerint reuerentiam? Socini affectas, & profanam illorum cohortem, qui Christum Seruatorem, verum esse Deum abnuunt, manibus pedibusque in hanc ire sententiam, mirum non est. Quae enim alia, argumentorum, quibus impietatis arguuntur, vim eludendi, & in iis, qui semel menti infederunt, erroribus, se obfirmandi, superesset via? Quid alios, qui ab horum procul se societate remotos videri volunt, impulerit, vt conuellerent, quae iustis rationibus, puriorisque antiquitatis consensu firmata erant, viderint ipsi, aut quorum interest, intimiores illorum sensus, perspectos exploratosque habere.

In voce προσκυνῆν, qua Matthaeus vitur, neutiquam causssae omne praesidium quaerimus. Sunt, qui ex eius prima origine *osculandi* significationem illi tribuunt: qui & salutandi mos apud antiquos fuit, vt ex HOMERO aliisque constat. ** Quod licet non prorsus reiiciendum videatur, aliam tamen, saltem si usum spectes, subesse notionem recte monent alii, vt inclinationem incuruationemque corporis, ita vt terrae os admoueretur, propemodum κυνῆδον. id est canino more, connotet. Atque ea salutandi ratione, orientis populos olim vsos, nemo tam expers est omnis antiquitatis, qui ignoret. Ebraea certe vox השתחוה cui Graecorum προσκυνῆν respondet, eiusmodi corporis inclinationem, qua cultum, honorem, reuerentiam, erga alios significabant, denotat. Generatim itaque ad omnem cultum

esse. Quo nomine cum aliorum censuram incurisset, causam hanc vterius defendendam sibi sumpsit, in *bibliotheca critica*, Parisiis anno M DCCVIII. edita, T. II. Cap. VIII. & IX. ea quidem ratione, vt se non negare videri velit, religiosam hic intelligendam esse adorationem, interim rem nondum ita euictam esse, vt dissentire non liceat.

** Conf. DIONTSII PETAVII *dogmat. theologie*, T. VI. lib. XV. Cap. II. p. 187.



tum, tum profanum, atque civilem, qui aliis hominibus, praesertim in magna dignitate constitutis, tum religiosum qui supremo Numini reddebatur, traducta vox est: & utroque modo in scriptura sacra sumitur, ut ex obiecto, aliisque argumentis, num civilem, an religiosum cultus intelligi debeat, definiendum sit. Et ita antiqui etiam ecclesiae Doctores, mox de civili, mox de religiosa adoratione, vocem *προσκυνεῖν* accipiunt. Cum enim *Gen. XLVII. 31. & Ebr. XI. 21.* de Iacobo dicitur: *καὶ προσεκύνησεν Ἰσὴν τὸ ἄκρον τῆς ῥάβδος αὐτοῦ,* honoris cultum, quo Iosephum profecurus sit Iacobus, intelligunt plerique. *Ὁρα τὸν γέροντα,* inquit **CHRYSOSTOMVS,** *τὸν προσεῦθ' ἑστη, τὸν πατριάρχην, ὃς τῆς προσκυνήσεως τὴν εἰς τὸν Ἰωσήφ τιμὴν ἀπιδεικνύμενον, & ὃς τῶν ἔργων αὐτοῦ πληρῆντα ἦν τὰ ὄραματ' τὴν ἔκθεσιν.* *Vide senem, decrepitum, patriarcham, per adorationem declarantem honorem quo Iosephum prosequitur, & re ipsa nunc implentem visionis eventum.*

*** De religiosa contra adoratione loquitur **ATHANASIVS,** cum *κτίσμα*, inquit, *κτίσμα* ἢ *προσκυνεῖ* ἀλλὰ δὲ ἄλλ' *δεσπότην,* καὶ *κτίσμα* Θεοῦ. *Creatura creaturam non adorat, sed quae servilis sunt conditionis Dominum, & quae creaturae sunt, Deum adorationibus colunt.* Id Petri atque angeli istius, quorum ille Cornelium, hic Ioannem, se adorare volentem, non admisit, exemplo cum comprobasset, subiicit: *οὐκ ἔστι Ἰσὴ μὲν τ' προσκυνεῖσθαι. & τὰς ἰσσοὺς & αὐτοὶ οἱ ἀγγέλοι, ὅτι καὶ ἀπάληθ' ὁμοίως ὑπερέχουσιν, ἀλλὰ κτίσματα πάντα εἰσὶ. καὶ οὐκ εἰσὶ τῶν προσκυνεμένων, ἀλλὰ τῶν προσκυνούντων τὸν δεσπότην.* *Quocirca solus Numinis est adorari, neque id ab angelis ignoratur, qui quanquam se inuicem gloria transcendant, creaturas tamen se esse, neque in classibus adorandum,*

*** tomik. LXVI. in Gen. p. 861. edit. Frontonis Ducaei, anni M DC XIV.

*sed adorantium dominum, se agnoscunt computari debere.****

Utramque ergo cum vox ista significationem admittat, & tum de civili, tum de religiosa, intelligi queat adoratione: nihil aliud superest, quam ut, quo sensu a diuino adhibita fuerit scriptore, inquiramus. Id vero facile intelligitur, si nobiscum reputemus, non hominem nudum, sed verum fuisse Deum, quem Magi adorarunt. Idque Magis si quis perspectum exploratumque fuisse, aut dubitet, aut neget, eorum, quae de istis narrantur, parum esse memor mihi videtur. Tempus, locumque nati Messiae accurate illis reuelauerat supremum Numen. Quis crederet, ignorare illud eos voluisse, quod caput causae erat, maximumque trahebat momentum, infantem illum verum esse Deum, qui reliqua utique minoris momenti, illis patefecerat? Et quem peracti itineris, laborumque susceptorum retulissent fructum, si hoc ignorassent? Ad fidem namque in istum puerum, ceu mundi Seruatorem, tot fidelium votis expetitur, patribus toties promissum, prophetarum vaticiniis praedictum, nunc demum exhibitum, & per fidem, ad aeternam perduci debebant salutem. At fidei haec est indoles, ut nulla censeatur debere, nisi in illum feratur, qui hominum aut expiaturus erat, aut expiavit crimina, quod eius profectus est, qui & homo & verus simul est Deus. Quem vero etiam in finem, cultum civilem puero isti exhibuissent? Si enim hominem tantum credidissent, infantem profecto recens natum ista honoris & reuerentiae signa non intelligere, facile arbitrari poterant: nec parentes pueri, infimae tunc sortis, & in summa paupertate constituti, eiusmodi quid exigebant. A sapientia proinde Magorum alienum censeatur debet, cultum exhibuisse

*** Orat. III. contra Arianos T. I. opp. p. 394, edit. quae Colon. MDCLXXXVI. prodijt.

(6)

isse infanti, qui nec necessarius, nec conueniens satis infanti, quid rerum gereretur ignaro, videbatur. Quae omnia si recte expendantur, aliter existimare non licet, quam religiosum fuisse istum cultum, quem exhibebant puero, qui qualis esset, ex diuina illis haud dubio innotuerat reuelatione.

Et haec veterum quoque, praestantissimorumque ecclesiae doctorum, fuit sententia. IRENAEVS vt antiquitate, ita eruditione venerandus, rem omnem luculenter edisserit: *Matthaeus autem Magos ab oriente venientes ait dixisse: vidimus enim stellam eius in oriente, & venimus adorare eum: deductosque a stella in domum iacob ab Emanuel, PER EA QVAE OBTVLERVNT MYNERA OSTENDISSE; QVIS ERAT QVI ADORABATUR: myrrham quidem, quod ipse erat, qui pro mortali humano genere moreretur & sepeliretur; aurum vero, quoniam Rex, cuius regni finis non est; thus vero QVONIAM DEVS, qui & notus in iudaea factus est, & manifestus eis, qui non quaerebant eum.* * Friolum est, quod ad mentem IRENAEI peruertendam regeritur, ostendere Magos per munera sua potuisse, quis erat, qui adorabatur, nec tamen ipsos mysticam munerum suorum significationem intellexisse. Nec id est, de quo nunc quaeritur, quid muneribus istis sibi voluerint, sed an IESVM puerum vt verum DEVM adorauerint? qua de re nos neutiquam dubitare sinit IRENAEVS, ostendisse, asserens, quis erat, qui adorabatur, hoc est, quo loco habuerint eum, quem adorarunt. IRENAEO suffragatur COELIVS SEDVLIVS, poeta inter christianos veteres elegantissimus, qui medio seculo quinto floruisse creditur. In hymno enim notissimo, cuius initium: *a solis ortus cardine* ** ita canit:

ibant

* *aduersus haereses, lib. III. cap. X. p. 213. ex edit. Grabii.*

** *p. m. 107. edit. quae anno MDCCIV. Halae Magdeburg. prodiiit,*

*Ibant Magi qua venerant,
Stellam sequentes praeuiam,
Lumen requirunt lumine,*

DEVM FATENTVR MVNERE.

*& in paschali carmine: **

*Aurea nascenti fuderunt munera Regi,
Thura dedere DEO, myrrham tribuere sepulchro.*

Antiquior SEDVLIO fuit IUVENCVS presbyter, seculo quarto clarus, poeta itidem haud ignobilis, cuius versiculum, mysteria munerum a Magis oblatorum paucis comprehendentem, celebrat HIERONYMVS: **

Thus, aurum, myrrham, Regique, hominique, Deoque.
Neque enim profecto ex sua saltem mente haec ita loquuntur vates, sed ex mente Magorum, muneribus hisce, quod infantem istum pro homine atque Deo vero haberint, profitentium. Addere his liceat verba LEONIS magni, *** quae, quis veteris ecclesiae de hac Magorum adoratione sensus fuerit, extra omne dubium ponunt. *Consummant ergo, inquit, Magi desiderium suum, & ad puerum Dominum Iesum Christum eadem stella praevinculae perveniunt. Adorant in carne verbum, in infantia sapientiam, in infirmitate virtutem, & in hominis veritate dominum Maiestatem: neque sacramentum fidei suae*

* p. m. 36.

** apud FEVARDENTIVM, ad Irenaei locum supra citatum

*** Sermon. XXX. in solen. Epiphan. p. m. 88. edit. quae Lugduni anno M DCC prodit.



intelligentiaeque manifestent, quod cordibus credunt, muneribus protestantur. Thus Deo, myrrham homini, aurum offerunt Regi: scienter diuinam humanamque naturam in unitate venerantes, quia quod erat in substantiis proprium, non erat in persona diuersum. Nec temere quenquam ex antiquis ecclesiae doctoribus esse existimo, qui hic in diuersum abeat, & de alia quam religiosa interpretetur, adorationem Magorum. Quod magni utique ponderis apud eum esse debebat, qui ceteroquin patrum auctoritatem, traditionemque semper crepat, ipsamque ad eam ceu normam quandam, ac regulam, explicari cupit scripturam sacram. Nos vero, scripturam ea qua decet ratione scrutantes, longe sumus certissimi, religiosa adoratione Christum infantem profecutos esse Magos: cumque antiquos ecclesiae doctores, quibus sua, quam sibi vindicare possunt, apud nos constat auctoritas, idem sentire videamus, de eorum merito nobis congratulamur consensu. Hinc nec in earum numerum quaestionum hanc referre fas sit, de quibus in vtramque disceptare liceat partem: aliter enim qui diuini spiritus verba explicat, aut explicari posse censet, sensum eius non assequitur, in re grauissima a recto aberrat tramite, honoremque Christo, vt vero Deo, a Magis exhibitum, vocando in dubium, grauissimo se obstringit crimine.

Si modum rationemque qua nasci voluit mundi Seruator, cogitemus, pleraque, certe ea, quae in hominum incurrebant oculos, *μυσφην δαλα* ostendebant. *Phil. II. 7.* Eo magis, vt eum simul verum fuisse Deum obseruemus, par est, vt contra machina-

XX

tiones

tiones hominum impiorum, diuinum honorem Seruatori optimo eripere cupientium, nos muniamus. Saepissime igitur cum natiuitatis eius iniicitur in scriptura sacra mentio, verus etiam fuisse Deus, declaratur. Esaias vates diuinus, natiuitatem Messiae praesignificans, cum multis nominibus diuinitatem eius arguentibus eum ornasset, diserte ^h Deum vocat *Cap. IX. 6.* Ioannes, cum de λόγῳ ceu vero Deo verba fecisset ex instituto: ὁ λόγος, inquit, σὰρξ ἐγένετο. *Cap. I. 14.* & Paulus, cum generationis Christi ex patribus κατὰ σάρκα meminisset, statim addit: ὁ ὢν ὑπὲρ πάντων Θεός ἐυλογητός εἰς τὰς αἰῶνας ἀμήν. *Rom. IX. 5.* Vnde idem vir diuinus, μυστήριον ἐυσέβειας ὁμολογημένως μέγα memorans, Θεός, inquit, ἐφανερώθη ἐν σαρκί. *I. Tim. III. 16.*

Huncce ergo puerum ceu verum Deum & nos adoremus. Adoremus eum in spiritu & veritate. Ita enim adorandus est verus Deus. *Ioan. IV. 23.* Osculemur filium, ne irascatur, & nos in via pereamus. *Psal. II. 12.* Hoc ipso demonstrabimus, nos fideles tanti Regis esse ciues. Quod si enim adoratione fidem suam, obsequium, animumque ad quaeuis paratum erga reges, principesque huius seculi demonstrare solenne erat, multo magis, vt spiritali cultu hoc faciamus, par est, cum eum, cuius natales nunc celebramus, & fratrem, & Regem, & Deum nostrum sciamus. Non verba, non gestus, non ritus, aut ceremonias, sed corda nostra sibi postulat Deus. Corde, animoque itaque adorandus est: purificato quidem per fidem, ceteroquin amoris & obsequii pleno, humili, contrito, terrestria & caduca spernente, coelestia & diuina anhelante.

helante. Et qui ita Christum adorant, illi demum ea, quae placere illi queat, ratione, natiuitatis eius recolere, & pie concelebrare memoriam, censendi sunt.

Magos ex oriente aduolantes, praeclarum hic nobis praeurtes, habemus exemplum. Viri licet essent sapientissimi, hoc tamen suarum praecipue duxerunt partium, Numinis, non rationis, audire vocem, illius morem gerere voluntati, per aspera & ardua contendere ad Christum, hunc quaerere, adorare, muneribus afficere. Verae sapientiae optime conuenit cum pietate. Carnalem vero illam sapientiam, quae pietatis remoratur studium, procul facessere iubeamus. Huc contra cogitationes, consilia, conferamus omnia, vt cum sapientia & eruditione, veram coniungamus pietatem: Christum sincere & vbique quaerentes, eum vera fide adorantes, & muneribus afficientes, hoc est, corda nostra pio animi affectu, in sacrificium quotidie illi offerentes. Ita nec intermitteremus, gratum erga eos, re ipsa demonstrare animum, qui heic loci ecclesiae praesunt: idque eo magis, quia recepta iam pridem id a nobis exigit consuetudo.

P. P. feria prima natiuitatis
Christi. MDCCIX.



AB 153825

ULB Halle

001 921 819

3



sb.

VD 17





25





11

DEI GRATIA
GVILIELMVS HENRICVS
DVX SAXONIAE, IVLIACI, CLIVIAE,
MONTIVM, ANGARIAE, ET GVESTPHALIAE,
LANDGRAVIVS THVRINGIAE, MARCHIO
MISNIAE, PRINCEPS COMES HENNEBERGIAE,
MARCAE ET RAVENSBURGI, SAYNAE, ET
WITTGENSTEINII, DYNASTAE
RAVENSTEINII

RECTOR ACADEMIAE IENENSIS
MAGNIFICENTISSIMVS

S. D.

C I V I B V S.

I E N A E

LITTERIS KREBSIANIS.

M DCC IX.